


37





18
6.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
CALCVLO RENALI,

QVAM
SVMMI NVMINIS AVXILIO,
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE FAVENTE,
PRÆSIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO
EXPERIENTISSIMOQVE
DOMINO CHRISTIANO STEPHANO
SCHEFFELIO,

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. REG. ORD. CELEBERRIMO,
FACVLTATIS SVÆ DECANO ET SENIORE
NEC NON TOTIVS ACAD. CONSENIORE GRAVISSIMO,
FAVTORE AC PRÆCEPTORE,
AD CINERE VSQVE DEVENERANDO,

PRO
SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
OBTINENDIS

AD DIEM XXX. APRILIS MDCCXLVIII.
PVBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR
HANS BERNHARD LVDEWIG LEMBKE,
GRYPHISWALDENSIS.

GRYPHISWALDIÆ
TYPIS HIERON. JOH. STRVCKIL



12

DISSERTATIO IN AVERTARIIS MEDICIS
DE
CALCULO RENALI.

AVM
SVMMI NVMNERIS AVXILIO
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE PAVNTO
PRAESIDE
VIRI EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO
EXPERIENTISSIMOQVE

DOMINO CHRISTIANO STEPHANO
SCHEFFELIO,

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. REG. ORD. GIBBERNINO,
AVCTORITATE VNI. DELINIO ET SENIORE
MEE HON. TOTIVS ACAD. CONS. PAVNTO PRAESIDIO
AVCTORE AC PRAESIDENTE
AD ORNAND. VQVE DIVITIARUM.

AVTO
SVMMI IN MEDICINA HONORIBVS
OPTIMIS

AD DIEM XXI. APRILIS MDCCLXXII.
PABICO AC SOLVIM EXAMINE SVBMITTIT
AVCTOR

HANS BERNHARD LUDWIG LEMKE
CANTHARINUS

GRATIAS AGIT
TYRIS NIKON JOH. STRICKII



DISSERTATIO MEDICO
DE
CALCVLO RENALI.



§. I.

Ad suscepturus operis, ut de *calculo renali* in hac dissertatione præcipiam, fabricam renum prius, quam morbum ipsum, explicandam mihi sumam, necesse est. *Ren* illud viscus est in Corpore Humano, cujus ope urina secernitur. Sunt vero in unoquoque C. H. numero duo, qui situm tenent in regionibus lumbaribus, infra peritonæum & supra musculum Psoas, in multa, quæ ibi est, pinguedine, quorum unus in quolibet positus latere, a parte superiori costas, & a parte inferiore cristam fere ossis ilei attingens. Renum figura similis est phaseolo in superficie convexa, in medio vero, ubi respiciunt ad vertebra, concava, quæ concavitas vocatur *sinus*, vasa simul continens, tam sanguifera, quam urinifera, juxta ac nervos, qui tendunt ad renem. Vasa sanguifera ab arteria constituuntur emulgente & hujus nominis vena.

§. II.

Renum integer contextus, præter membranam externam coërcentem & vasa majora, constat *duplici substantia*, colore, consistentia habituque diversa, cujus exterior *cortex* dicitur: mollis est, laxa, ante impletionem rubra in sanitate; in emaciatis contra, phthificis & hæmorrhagiam magnam passis invenitur pallida omnino; prouti quoque discissa per longi-

tudinem, vix unam alteramve stillat sanguinis guttulam. Interior substantia, *medullaris* seu *papillosa* dicta Anatomicis, compactior est & albicantior, interrupta ac distincta quibusdam corporibus, papillas referentibus. Cortex papillosam substantiam extrinsecus ambit, crassitie circiter digitali vel pollicari: dein ipsis quoque papillis se inserit, vel eandem distinguit, sicuti cortex cerebri portionibus medullæ interponitur. Constat autem cortex renalis arteriis & venis, mirifice & singulari modo per eum distributis, & cum membrana cellulosa junctis, e quibus, simulque vasis medullaribus, urina debet secerni. Substantia medullaris, vel papillosa, est durior corticali: si ante impletionem spectes, alba est, singulare aliquid striati in se habens. Hæc substantia papillosa dividitur in varias *papillulas*, quarum numerus haud est certus: sunt enim harum nunc 6, nunc 7, nunc plures, nunc pauciores. Unaquæque autem istiusmodi papillarum basi gaudet ampliori, quatenus spectat gibbam renis superficiem: vertitur demum in apicem obtusum, in canali suo desinentem: qui canales (nam sunt plures & fere unaquæque papilla habet suum proprium canalem, qui omnino omnes in pelvim renalem desinunt,) *radices pelvis* nominantur, per quas urina secreta fertur ad pelvim renalem. Peculiare illud striatum sunt *pori* illi *Belliniani* sic dicti, oriundi scilicet, ubi arteria sanguifera desinit: Nam in rene arteria vel desinit in venam, vel in vas lymphaticum, vel in porum Bellinianum; id quod adhibita injectione, aut æque bene, neglecta illa, probari potest. Etenim si inspicias renem dissectum, videbis vasa albicantia in papillosa parte renum, quæ fere omnia conspicua inprimis sunt in basi papillæ & ad mucronem tendunt, ubi vasa illa aperta possunt conspici, & si papillulam hancce premas, urina ex hisce papillis potest emulgeri.

§. III.

Renes suos *nervos* accipiunt a nervo intercostali, qui nervus, postquam formavit in uno latere plexum hepaticum, in altero splenicum, habet duo ganglia semilunaria, quæ dant filamenta, conjungentia se cum ganglio lumbari, sequæ invicem excipientia, formant plexum renalem, qui arteriam renalem amplectitur sequæ distribuit per renem, renesque succenturiatos, & simul dat filamenta, quæ ad vasa spermatica tendunt; qui plexus cum omnibus fere partibus abdominis connexus esse deprehenditur.

§. IV.

Nunc progrediendum est ad *pelvim*, sedem nimirum calculi renalis. Pelvis est illud receptaculum, per quod urina ad ureterem fertur. Dividitur in *pelvim* proprie sic dictam & *radices pelvis*. Radices pelvis constituunt initium pelvis, eum in modum se habentes: Ubi papillulæ renales incipiunt, ibi etiam in peripheria oritur radix pelvis, ibique canalis comprehendit papillulam in basi sua, quæ papilla libere illi inhæret. Procedit autem canalis ab unaquaque papilla, haud secus ac radii circuli a peripheria ad centrum, conjunguntque se omnes hæ radices & constituunt amplum illud vas quod dicitur pelvis renum, inque ureterem definit.

§. V.

Via illa, per quam calculus ad vesicam delabitur, est *ureter*, qui est longus ductus, capacitate varians, nunc dilatatus, nunc iterum contractior, e pelvi renum angustata ortus, descendens supra muscolum Psoas magnum aut parvum, si adest: inde, se applicans lateri pelvis ossium innominatorum, procedit ad posteriorem vesicæ partem, ipsique inferitur ad
latus,

latus, trium circiter digitorum transverforum ab urethra, & a se invicem, intervallo. Neque potest a se impetrare quisquam, ut hancce insertionem dignoscat, quin simul artificiosissimum corporis humani conditorem admiretur. Huc enim delatus ureter, oblique perforat tunicam vesicæ cellulosam & muscularem, hanc inter & nerveam, ad duorum fere digitorum latitudinem, pergendo, donec membrana ureteris interna protracta, tandemque expansa reflexaque, internam vesicæ membranam constituat, angusta quasi oblonga fissura intracavum vesicæ patente.

§. VI.

Structura renum brevibus explicata, ordo jam ipsam tangit *calculi genesin*. Primo loco, e quibus partibus calculus compositus sit, in censum venire debere puto. Partes constitutivæ possunt per artem chemicam elici: Si nempe sumantur drachmæ X. calculi renalis in pulverem redacti, & per se destillentur: tunc prodit phlegmatis drachma semis, salis volatilis uncia semis, cujus tertia pars oleum est, & adhuc drachma semis olei parietibus retortæ adhæret: si tunc caput mortuum, drachmas V. ponderans, in igne & vase aperto exponatur; adhuc drachmæ II. avolant, remanentibus drachmis III. terrestris materiæ.

§. VII.

Cum certissimum sit, in C. H. calculos generari: Medica vero ars in eo inter alia versetur, ut causas generationis physicas enodare studeat; brevissime conditionem corporeæ machinæ, quatenus ad propositum pertinet, examinare convenit. C. H. chemice observatum, constat ex variis principiis, salibus scilicet, aqua, phlogisto, terra: quæque tam in fluidis, quam

quam in solidis, adesse fatendum. Omnes hæ partes simul sumptæ in aliqua proportione, vel fluidum vel solidum constituunt. Fluidum constituunt, ubi principium aqueum abundat; solidum e contrario, ubi principium aqueum in minori quantitate adest.

§. VIII.

Triplici autem ratione fluidum quoddam in renibus stagnat. Hoc potest fieri primo per nimiam stricturam, ut in æstu & refrigerio: quia frigus corpora condensat, æstus autem vasa dilatat, & dilatando vicina vasa premit & sic etiam constrictionem ibidem causatur; quod ubi fit, maxima pars fluidi, vel principii aquosi, per venas resorbentes iterum ad massam sanguineam deducitur, remanente parte terrestri cum phlogisto & sale. Porro stagnatio contingit ob nimiam laxitatem fibrarum, qua fit ut vasa nimis amplientur: ergo fluida, quæ alias in minora vasa intrare haud potuerant, nunc intrant: E. G. sanguis in vasa lymphatica, vel ductus uriniferos Bellinianos, intrare potest: qui dum per angustias vasorum lymphaticorum haud penetrare, nec iterum ad massam sanguineam deduci potest, necesse est, ut oriatur obstructio. Denique Fluidum in C. H. potest stagnare, si qualitas hujus fluidi perversa est, ut contingere potest, quando sanguis nimis crassus est & in illa vasa penetrat.

§. IX.

Quodsi vero obstructio ex ejusmodi stagnatione in renibus adest; facile tunc supervenire potest inflammatio, infelix illa plerumque causa, quæ calculorum generi suggerit materiam. Arteriæ siquidem cujusdam finis, vel plures, obstructi sunt vel sanguine, vel fero, vel lympha, quæ fluida omnia in se continent, aquam, silem, oleum & materiam terrestrem. Vasa illa obstructa adjacentia comprimunt: hæc reagunt &

mate-

materiam illam obstruentem magis magisque in vas obstructum impingunt. Sic subtiles particulae avolant, remanentibus crassioribus. Hæc vero obstructio vel resolvitur, ita quidem, ut materia obstruens ad massam sanguineam reducatur, vel hæc materia obstruens, ductibus Bellinianis vel aliis vasis dilatatis, in pelvim renum propellitur. In priori casu nullus calculus oritur; in posteriori vero prima calculi generandi causa latissime patet; Illa enim materia obstruens per ductus Bellinianos, vel per dilatata vasa, in pelvim deportata, quoad certam partem ex pelvi quidem penetrat cum urina in ureterem & per hunc in vesicam, unde per urethram potest extra corpus nostrum propelli; id quod facillime peragitur, dum materia obstruens ad radices pelvis, quæ superiorem & mediam partem renis occupant, est delata; minus vero id accidit in radicibus pelvis, quæ sunt in inferiore parte renum. Nam in priori casu pondere suo delabitur materia excernenda; in altero autem ad superiora deberet propelli, quod tamen gravitas materię neutiquam permittit. Quare in aprico positum est, ex hac præcipue causa, hincque mora materię in renum pelvi, factaque præcipitatione, calculum renalem suos debere natales.

§. X.

Aliæ adhuc sunt causæ, quæ calculum hunc producere valent: si nempe vasa nimis sunt dilatata, ut sanguis ipse loco urinæ intrare possit pelvim (§. VIII.); qui in pelvi per aliquod spatium temporis remanens, refrigeratur; si quidem est extra circulationem positus: quo facto ex sanguine fluido fit coagulatus, qui ab urina non potest solvi, ut videre est in iis, qui, mictu cruento laborantes, sæpius cum urina grumulos sanguinis emingunt.

§. XI.

DE CALCULO RENALI.

§. XI.

Per circulationem quoque validiorem vasa possunt pati & eorum filamenta abradi, ut in febribus ardentibus edocemur, urinam observantes criticam, eamque vel furfuraceam vel filamentosam, certissimum ideoque exhibentem signum vasorum abrasorum & per urinam excretorum: quo efficitur, ut morbus in melius effingatur, quia obstructio referata & materia obstruens cum vasis sic laxis ad massam sanguineam delata per urinam excernitur. Accidit itaque, ut hujuscemodi partes remoram pati in renibus & ea simul ratione ad prima calculi flamina conferre possint.

§. XII.

Jam vero exoritur quaestio, *quomodo calculus, qui primo solummodo fuit arenula vel grumus sanguinis, vel aliud quoddam parvum, ut filamentum, aut furfur vasis cujusdam, magnum illud incrementum capiat? In praecedentibus sis jam demonstravimus originem calculi, quae, materialiter spectata, specificè gravior est urina ipsa, indeque fundum petere debet. Urina, quae secernitur in papillis renalibus, & nucleo calculi, qui semper adest in radicibus pelvis inferioribus (§. IX.), instillatur, per eum refrigeratur, quia nucleus non tantum caloris gradum possidet, quantum urina, quae paulo ante fuerat intra circulationem sanguinis. Quum autem, si fluidum aliquod, multa contenta in se soluta habens, refrigeratur, oritur praecipitatio, & quidem illud majori copia praecipitatur, quod est gravitate specifica maximum; quid mirum, urinam per nucleum calculi, in rene praesentem, itidem refrigerari, partesque ejus inprimis terrestres praecipitari. Fluidum quoque calidum majorem partem salis in se solutam tenet; dum autem illud refrigeratur, praecipitatur pars hujus salis. Unde*

B

itidem

itidem constat, sal, quo urina forte saturata est, non minus præcipitari per refrigerium istud. Sed quomodo illæ partes cum nucleo calculi conglutinentur & tam durum corpus efficiant, jam erit dispiciendum. Partes terrestres urinæ gaudere gravitate specifica maxima, dubium erit nemini; hinc fluidum illud, quod levissimum est in urina, his partibus terrestribus quam maxime adhærere & eadem de causâ cum illo præcipitari debet. Verum enim vero hoc fluidum est oleum, quod in urina adest: Ergo oleum cum partibus terrestribus debet præcipitari. Oleum solummodo est fluidum ob particulas aquosas, quas in se habet: his ablatis, solidum constituit. Si autem ab hoc oleo, præcipitato cum partibus terrestribus, superflua quantitas aquæ separari potest; ex præcipitato illo componitur corpus durum atque cohærens, quod idem est, ac calculus ille renalis. Partes fluidæ, quæ sunt unius indolis, facillime inter se coeunt; quod probare possum sequenti experimento: sumas quæso unam alteramve guttulam aquæ, & quam primum se invicem leviter attingunt, statim confluere videbis. Idem potest fieri in casu, cujus mentio supra est injecta. Aqua, quæ est in urina, cum attingit aquam, quæ est in oleo præcipitato; tunc inter se confluunt guttulæ, & oleum aqua simulque fluiditate sua orbatur. Qua igitur ratione, calculus ille durus evadat, vel me non monente, ex dictis elucet.

§. XIII.

Generi calculi renalis explicata, effectus pariter, quos producit, observare & explicare, partium mearum duxi. Primus effectus est dolor in regione lumbari, qui tactu & pressione digitorum non exacerbatur, & quidem in eo latere, quo ren à calculo est affectus. Sed præcipue latus sinistrum huic morbo

mörbo subjectum est, quia ren sinister magis injuriis externis expositus est dextro. Siquidem in latere dextro supra renem hepar situm est, sub quo magno viscere ren dexter suum habitaculum habet & simul aliqua parte integitur, caloremque ejus sibi habet communicatum. Contra vero in sinistro latere lien positus, parvum est viscus respectu hepatis, indeque ren tantum caloris gradum ab hoc viscere acquirere nequit. Hinc, si dolor in regione lumbari sinistra adest, qui a tactu digitorum non exacerbatur, semper de calculo est judicandum, simul tamen inquirendum, an alia symptomata cum hoc signo coincident. Dolor hic non est acutissimus, quamvis acutus esse possit, si nempe magna præcesserit inflammatio. Verumtamen non adeo acutus est, quam in partibus nervosis & musculosis, quia vasa renum laxè inter se coherent, nec valde sunt expansa, simulque ren in multa pinguedine quasi sepultus est. Solet quoque ille dolor fixus manere, & a calculo, in rene præsentè, oriri, qui pondere suo in vasa nuda ruit, papillulam renalem attingendo; quod facile potest fieri in radicibus pelvis, quæ partem renis inferiorem occupant. Novimus, quantus percipiatur dolor, si parvula pars epidermidis de cute detracta, ab aëre solummodo afficiatur; quid itaque mirum, calculum, qui pondere longe majori agit, eundem effectum producere posse, quem multo majorem dixerim, quando calculus angulari quadam figura circumscribitur.

§. XIV.

Calculus, sensim accrescens, renem obstipat, carnemque ejus suffocat. Sunt observationes, quæ confirmant, calculum in pelvi renum adfuisse, qui totam pelvim implevit, ita ut etiam calculus in radices pelvis penetraverit, & vestigia papillarum renalium in illo impressa fuerint: ut ipse ingentem

calculus, qui aliquot uncias ponderabat, in lectionibus Physiologicis Celeberrimi B. S. ALBINI, Præceptoris mei ad urnas devenerandi, oculis conspexi. Eadem quoque opportunitate Vir modo laudatus, calculum illum dixit, totam pelvim ita complevisse, ut ne guttula quidem urinæ per ureterem transire potuerit; quæ de re ureter valde fuit contractus & in ligamentum transmutatus: alterum vero ureterem ita fuisse dilatatum, ut duplo fuerit amplior, quam in statu naturali, & arteriam venamque renalem simul justo fuisse spatiosiores. Neque aliter evenire potuit, quia secretio urinæ per alterum renem sublata fuit & calculus illum compressit: quare congestio sanguinis ad alterum renem facta. Quoniam post hæc dilatatio arteriæ emulgentis inde orta est, majorem illa copiam sanguinis capere potuit, quo posito major quantitas urinæ debuit fecerni, quæ iterum dilatationem ureteris mirum in modum produxit. Eandem fere observationem mihi videre contigit in cadavere fœminino, quod commilito & amicus meus suavissimus, Experientissimus, nec non Doctissimus Dn. Doct. A. D. LÜERS, Wismariensis disciebat Lugduni Batavorum. Comparatus erat alter ren, ut fieri assolet in statu naturali: alter autem in pelvi sua magno onustus erat calculo, qui simul radices oppleverat carnemque renis compresserat suffocaveratque; ast non omnem secretionem urinæ prohibuerat, quippe ureter adhuc pervius, solitaque gaudebat latitudine.

§. XV.

Calculus renum potest esse vel lævis vel asper. Si lævis est, dolores & omnia alia symptomata sunt tolerabiliora, dummodo reni tantum pondere suo nocet & eadem de causa illum comprimit. Si autem calculus ille asperitatibus gaudet,

det, consumere ita renis potest substantiam, ut nil fere in C. H. remaneat: Nam asperitates illæ, corpore moto, substantiam papillarem, facile destruendam, re quoque vera destruunt & vulnus ibi excitant, quare facile a calculo renum mictus cruentus ortum trahere potest. Vasa enim lacerata, ob perpetuum contactum corporis asperi, irritantur, & inflammationi ibidem locus relinquitur. Inflammatio autem terminatur ita, ut vel resolvatur, vel in suppurationem, vel in gangrænam sphaculumque abeat. Si inflammatio, quæ adfuit resolvatur; bene se res habet & ren pristinam valetudinem recuperat: si autem vergat in suppurationem; totus ren fere potest consumi, ut observationes probant, totum scilicet in sacculum purulentum fuisse mutatum. Exitu enim materiæ purulentæ denegato, acris hæc fit, & adhuc sanam in pus convertit partem. Si autem puri illi exitus conceditur pars solummodo renis inflammata consumitur. Hæc ita se habere, sensuum testimonio convictus, in ipsa cadaveris cujusdam virilis dissectione pro comperto habui. Totus in eo eram, ut vesicam urinariam, una cum vesiculis seminalibus ureteribusque, & pelvim renum præpararem, cum casu quodam, si dicendum quod res est, in renis sinistro latere duos calculos detegerem, alterum in inferiore radice pelvis, pondere gr. XI. multisque asperitatibus effectum, paululumque ad rotunditatem inclinantem; alterum, qui adhuc latitat in rene illo exsiccato, & in radice insequente obvium, ejusdem fere magnitudinis, incurvatum, asperum, haud verò tanta crassitie. Effectus calculorum, quibus vir, cum viveret, laboraverat, sat mihi mirandi sunt visi, dignique qui recenscantur nostræque perlustrationi subijciantur. Substantiam renum in duabus pelvis radicibus ita consumtam esse, observabam, ut modo tunica, reni propria, radices obtegeret; alterius vero renis partis salvam ad-

huc illasque substantiam, ut ocularis preparati, quod sollicitus adseruo, inspectio commonstrat. Pelvis vero in illo cadavere, duplo, quam in statu naturali, amplior, inflammationis renis haud incertam præ se fert significationem, aut, si mavis, clausæ a calculo ac obturata ureteris aperturæ. Urina enim, ad vesicam abducenda, pelvim ultra tonum, ut opinor, expandere adeo potuit, ut debilitata magis magisque, sequere iterum contrahere recusans, distenta permanserit. Quodsi autem hæc inflammatio renum in gangrænam tendit, vita ægri periclitatur & gangræna facile in sphacelum abit, qui est mors illius partis, & reliquas quoque vicinas partes simul corrumpere potest.

§. XVI.

Adest etiam in calculo renum dolorosa & difficilis dorsum incurvatio: Nam si flectatur dorsum, tunc comprimitur abdomen & viscera vergunt versus renes, & tunc temporis ren apprimitur musculo Psoas, qui per flecturam dorsum fit brevior & in agendo intumescit, hincque renem simul comprimere debet: ergo ren ex duabus plagis comprimitur. Quia itaque calculus in rene adest, & substantia renum, quæ nuda existit, illi corpori duro apprimitur, facile dolorosa dorsum incurvatio explicanda.

§. XVII.

Calculus producit etiam cruris, e directo reni affecto oppositi, stuporem. Renes musculus, Psoas dictis, incumbunt, qui, dum a tumefactis per calculum renibus, vel scabritie calculi inflammatis, comprimuntur, compressi eundem effectum debent producere in illa corpora, quæ immediate sub his musculis sunt posita. Nervus cruralis immediate sub hoc musculo positus est, qui musculus oritur ab omnibus vertebra

vertebris lumborum a latere interno, & insertionem habet suam ad trochanterem minorem femoris, quem quasi comprehendit; & infra hunc muscolum ex foraminibus, quæ vertebræ constituunt, nervus cruralis oritur, qui in initio infra muscolum Psoas, & quidem, ubi ren positus est, posteaque ad latus hujus musculi ad crus descendit. Hoc musculo compresso a rene, nervus simul compressionem pati debet. Nervo compresso, fluidum nerveum vel in minori quantitate per hunc nervum ad crus fertur, vel via huic fluido per huncce nervum in totum denegatur. Ubi itaque non adest fluidum nerveum, ibi etiam non adest actio: atque hic deficit prius; ergo nec posterius adesse potest; unde stupor femoris conceptu facillimus.

§. XVIII.

Calculus renalis sæpe excitat nauseam & ventriculi subversionem, quæ tanta vi in quibusdam agit, ut quicquid ingererunt cibi potusque, vomitu statim rejiciant, & hoc maximo sæpe cum levamine. Hæc nausea vomitusque oritur ab irritatione nervorum, qui afficiuntur in renibus, & connexionem habent cum nervis ventriculi. Ren enim sinister per suum plexum nervosum, interventu mesenterici superioris, cum stomachico cohaeret: dexter autem per similem plexum immediate cum hepatico & stomachico connectitur. Cum itaque nervi ventriculi, jam aliqualem irritationem per calculum passi fuerint, & cibis adhuc potusque ventriculum subeunt, major fit nervorum vellicatio: unde nausea, tandem vomitus subsequitur. (§. III.) Levamen illud facillime potest explicari, quia una irritationis nervorum ventriculi causa tollitur. Immo etiam vacuus plane ventriculus nihilominus sæpe ad nauseam vomitumque ex eodem consensu, si dolor gravior urget, irritatur. Hoc symptoma vero etiam potest oriri, si

ren

ren inflammatus est, & ventriculus ac intestina, ob connexionem, quam inter se habent, itidem inflammantur: nam intestina obtegunt renes, & solummodo peritonæum his binis partibus interpositum est: ergo facile inflammatio mediante peritonæo potest communicari intestinis ventriculoque.

§. XIX.

Testiculus lateris renis affecti versus superiora trahitur. Calculus ille renem violento modo afficit: qua ex causa nervi, qui ad alias partes tendunt & connexionem cum nervis renalibus habent, in consentum possunt trahi. (§. XVIII.) Vasa spermatica, neque minus musculus cremaster, accipiunt filamenta nervosa a plexu renali (§. III.); unde hæc retractio testiculi evenire potest.

§. XX.

Dolorosa etiam titillatio, quæ in glande penis sæpe oritur a calculo renali, deducenda a nervis glandis, itidem in consentum raptis. Quia autem hæc pars non tam violento modo afficitur, quo forte & distantia inter has partes aliquid contribuit; dolorosa modo inde oritur titillatio. Nam dolor & titillatio solummodo gradu differunt. Dolor adest, si in fibra nervosa dissolutio metuenda est: in titillatione autem nervi quidem afficiuntur; sed nullus metuendæ destructionis locus relinquitur. Jam vero nervi, qui ad penem tendunt, sunt diversi generis, nempe nervi lumbares, sacri & nervus intercostalis, simul dantes filamenta ad hanc partem. Nervus intercostalis per calculum violento modo afficitur, unde dolor: reliqui autem per connexionem illam, quam cum nervo intercostali habent, afficiuntur: quæ ex ratione horum nervorum tanta non est passio, ut dissolutio eorum sit metuenda, quamobrem illa dolorosa titillatio oritur.

§. XXI.

§. XXI.

Calculus renalis producere valet respirationem difficilem compressionemque costarum spuriarum. Difficilis illa respiratio oritur; si nervi illi lumbares superiores, qui ad diaphragma dant ramos, vel per inflammationem renalem afficiuntur, vel in consensum rapiuntur: unde diaphragmatis elevatio & depressio, a qua pendet fere tota respiratio, fit difficilis. Constrictio costarum spuriarum ex eodem fundamento est explicanda.

§. XXII.

Alvus in hoc morbo fit adstricta, simulque obstructa. Adstricta fit, ob connectionem illam, quam vesica cum sphinctere ani habet: nam facillime per calculum renalem vesica potest affici, quia ren cum vesica per continuatam pelvim connectitur; vesica vero sphincter cum sphinctere ani intime communicat. Ex hac itaque causa, si vel vesica inflammatur, vel spasmodice constringitur ab inflammatione vel spasmodica constrictione renum; facillime etiam sphincter ani hanc labem acquirere potest. Obstructio alvi eodem nititur fundamento, si nempe ante dicta labes per nervos §. XVIII. aliosque, intestina afficit, sicque vel motum peristalticum impedit, vel spasmos intestinorum producit.

§. XXIII.

Interdum adsunt flatus, tormina & distensiones intestinorum, quæ omnia originem trahere possunt ex alvo adstricta & obstructa, vel ubi intestina ab inflammato vel dolente rene spasmodice sunt affecta.

C

§. XXIV.

§. XXIV.

Urina in hoc morbo est varia: hæc enim in colore, & in consistentia, & in contentis, & in quantitate variare solet. In colore variat: nam modo est alba, quæ albedo iterum differt: modo enim est tenuis, instar aquæ limpida, quæ albedo oritur a constrictione, quæ adest in renibus, ubi nil, nisi quod tenue atque aquosum est, per vasa transire valet, crassioribus remanentibus: Altera albedo in urina evenit, si inflammatio renum in suppurationem est transgressa, quo factò pus coctum cum urina emingitur urinæque albedo sistitur. Modo urina est rubra, modo cruenta. Rubra esse potest, inflammatione renum tanta cum deprehenditur, ut fluida nostri corporis velociorem circulum experiantur, qua ex causa major quantitas olei corporis nostri cum fluidis miscetur, & simul major quantitas olei cum urina emingitur, quod oleum colorem illum rubrum in urina profert. Cruenta autem urina existere potest, si renes a calculo aspero vel acuto sunt sauciati & vasa lacerata, ut sanguinem stillent, qui postea cum urina ad vesicam amandatur. A debilitate simul hoc evenire potest, quando nimirum orificia vasorum ita sunt dilatata, ut sanguinem transire permittant. In consistentia urina differt: nunc enim est tenuis instar aquæ puræ, nunc crassa turbidaque, inflammatione nempe sublata & crisi per urinam facta, vel, ut ante dixi, pure cum urina misto. Differt quoque urina in contentis: in quibusdam est vel furfuracea, vel filamentosa, utpote in urina critica inflammatoque rene, vel arenosa, vel lapillosa, ubi calculus renalis vel solutus est, vel adhuc non concreti s excernitur. Interdum etiam grumulos sanguinis urina secum fert, refrigerato sanguine, vel in rene, vel vesica. Magna etiam est differentia in quantitate urinæ hujus morbi, quo-

quoniam nunc est copiosa, nunc parca, aliquando prorsus nulla: copiosa est urina cum renes per calculum valde sunt debilitati, qua ex ratione majorem quantitatem urinæ transmittere possunt, vel etiam si semper irritantur renes per calculum præsentem: parca autem est urina, si obstructio inflammatioque adest in renibus, per quas causas vasa, quæ nondum sunt obstructa, simul comprimuntur, & parvam quantitatem urinæ modo transmittere possunt: aliquando autem urina prorsus est nulla, quæ interceptio oritur, cum calculus ex pelvi per ureteres descendere tentat, in transitu autem sistitur sibi que ipsi viam præcludit.

§. XXV.

Hæc vero omnia, *in præcedentibus* sis adducta calculi renalis signa, cum aliis quoque morbis, excepto fere unico vomitu, sunt communia. Ergo ad calculosam affectionem designandam anamnestica signa illis jungantur, necesse est. Inquirendum igitur, num ex his aliquid passus sit laborans, nec ne: an ex parentibus calculosis vel podagricis sit natus? quæ affectiones inter se sunt affines, & jure hæreditario ad sobolem possunt transferri: an in juventute, an ætate consistente, doloribus calculi fuerit obnoxius, vel per multum tempus gravativum circa lumbarem regionem senserit dolorem? an ab equitatione, vel ab alio corporis vehementi exercitio exacerbaverit morbum, præcipue in curru super strata lapidea? an urinæ diu crassa turbidaque fuerint? denique examinanda est vivendi ratio, an sit lauta & vinosa, vel adstringens, vel laxans? an sedentaria & otiosa gaudeat vita? an corporis habitus sit laxis, an adstrictus. Quæ aliis signis addita, non leve pondus habent ad certum de natura morbi judicium proferendum.

§. XXVI. *Quum autem dolor calculosus cum dolore colico & lumbagine rheumatica aliquam, tum ratione loci, tum ratione symptomatum, similitudinem habeat, utriusque differentias aliquot inferere, operæ pretium judicaverim. Dolor calculi renalis est fixus, versus regionem pubis se extendens, quia renes per pelvim & per ureteres sunt cum vesica urinaria connexi, quibus mediantibus dolor iste propagari potest; colicus contra est vagus & versus superiora sæpe tendens. Dolor calculi præcipue lumbarem regionem infestat; colicus contra præcipue epigastricam & umbilicalem. Lumbago rheumatica quidem hancce regionem infestat; sed exacerbatur pressione digitorum. Deinde decubitus in sanam partem molestior est in calculo renali, quia musculus Psoas extenditur, qua de causa ren comprimitur, undeque dolor: e contrario decubitus in malam partem in lumbagine fit vehementior. Distinguntur etiam ratione excretorum; quod in colico faeces magis retineantur; in calculo urina magis supprimatur. Differunt solutione doloris, quod flatibus expulsis solvitur colica passio; calculus autem, non nisi deturbatus & expulsus, vexandi finem facit.*

§. XXVII.

Quod ad Prognosin, calculus renalis est morbus inter gravissimos non ultimus: non quidem ratione partis affectæ, hæc enim non tam nobilis est; sed ratione symptomatum, quæ infert, inprimis cum calculus in ureteres descendit, eos dilacerat ibique manet, ut videre est in illo miserrimo mercatore cujus FORESTUS variis in locis meminit Lib. 24. Obs. 26. 28. & 29. Hi dolores vel ex vehementi illa distensione

sione

sione partium, vel laceratione substantiæ papillosæ renum, quæ nuda est, vel pelvis, vel ureterum, originem ducunt. Solet hic morbus admodum chronicus esse, immo mortis facere candidatos, tum quidem, quando vel renes, vel ureteres, a calculo profus obstructi sunt: in priori statu nulla urina potest secerni, quia a calculo papillulæ renales sunt compressæ vel destructæ: & si præterea asper est calculus; lacerando etiam hos dolores facit (§. XIV. & XV.) unde eo major papillarum confictio: in altero autem urina quidem secernitur, sed non potest transferri ad vesicam urinariam: quo ex fundamento pelvis & ureteres mirum in modum possunt extendi, ex qua distensione dolores illi atroces, vigiliæ, inedia, vomitiones, virium prostratio, ischuriæ, febres, immo & mors: quæ in propinquo est, si dolor nullis cedat remediis, externa frigeant, facies palleat, sudor erumpat frigidus & virium summa adest prostratio.

§. XXVIII.

Senes præ infantibus sunt aptiores ad hunc morbum, quia infantes haud amant vitam sedentariam & viæ admodum possunt dilatari, quo ex fundamento facile per ureteres calculi ad vesicam possunt deduci urinariam; quia autem in infantibus vires non sunt stabiles, calculus vesicalis eis est morbus familiaris, ut Hipp. dicit, contra vero affirmans: *Senes magis calculo renali corripi & difficulter sanari.* Vid. *Aph. Sect. 6. aph. 6. & Lib. 6. Epid. sect. 7. se renum vitia non vidisse curata supra quinquagesimum annum:* quoniam in his vitæ vis debilis existit, vitæque magis vivitur sedentaria, quam agilis. Eadem ex ratione eruditus hic affectus est frequens, in studia a juventute incumbendo, vitam sedentariam agere coactis.

Hinc rusticos minus calculis obnoxios esse audies, quotidianis nimirum laboribus corpus excercentes.

§. XXIX.

Hic morbus jure hæreditario in nos potest transferri (§. XXV.): Siquidem fere semper habitum corporis a parentibus accipimus, & eadem ratione vivendi utimur, qua corpus etiani ita disponi potest, ut huic morbo accommodatius reddatur: Quodsi itaque hic morbus est hæreditarius vix unquam perfecte sanatur, quia totum fere corpus deberet immutari.

§. XXX.

Affectus renalis curatu difficilis est, propter dispositionem naturalem. Calculi parvi, rotundi ac læves cum adsunt, cura bene potest peragi, quod indicatur morbo tolerabiliore minorique cum molestia calculis excretis. Verum enim vero, ubi calculi multi, quamvis sint exigui, simul per ureteres transire conantur, ibique moram nectunt: vel unus, sed grandior, locorum angustiis intrusus totum occludit spatium ureteris; utroque in rene facile intercluditur urina & loca distendit: unde ægros intra paucos dies expirare oportet.

§. XXXI.

Qui extenuato sunt corpore, non tam facile calculo laborant, quam qui obeso præditi habitu: quia hi ob corporis molem otiosi ut plurimum sunt & sedentarii: unde multum pinguedinis, renes prementis, colligunt, quæ ad obstructionem inflammationemque anam facili dare potest negotio.

§. XXXII.

§. XXXII.

Quodsi in urina nullum appareat sedimentum, febri-
m ægrotans sentiat, alvusque simul constipata, frigidique acce-
dant sudores, ægerque simul anxius sit ac vires habeat fractas;
malum sat dirum est, indicans, inflammationem in gangranam
sphacelumque tendere, & mortem ante fores esse.

§. XXXIII.

Sanguinis profluvium non solum dolorem huncce interdum
levat, sed etiam morbum quandoque aufert. Etenim inflam-
matio, orta in renibus, ut generatim fere inflammationes,
venæ apertura optime curatur; inflammatione vero sublata
viæ, per quas calculus transire debet renalis, fiunt laxiores:
unde facilius ad vesicam, & extra corpus nostrum potest pro-
pelli: Quare Hipp. *Seç. VI. aph. II.* Melancholicis & ne-
phriticis hæmorrhoides supervenientes, bonum esse judicat.

§. XXXIV.

His expositis, ad *indicationes* progrediendum *curatorias*,
quæ facile ex causis derivantur. Calculus renum dira illa,
quorum paulo ante mentio facta, symptomata producit: unde
quam primum e corpore nostro est eliminandus. Hoc potest
peragi, calculo vel eodem manente, qualis est, vel eodem mu-
tato, & ita e corpore expulso. In primo casu tum adhiben-
da sunt illa medicamenta, quæ transitum ejus promovent;
tum etiam viæ debent ita disponi, ut domestico huic hosti
dilcessum permittant. In altero vero casu, ubi calculus di-
latatis viis est major, ita est mutandus, si fieri potest, ut per
hæc angustias transferri possit: Vel si hoc in nostra haud est
potestate,

potestate, ita est disponendus, ne lædat, simulque symptomatibus succurrendum urgentibus, ne vita ægri periclitetur.

§. XXXV.

Primo itaque dicendum de illo statu, quando calculus haud major est viis, per quas transire debet. Ad hoc efficiendum, opus ante omnia erit, ut impetus fiat calculi versus pelvim ureteremque, qui potest produci per justum situm corporis, medicamentaque simul propellentia, alias dicta stimulantia. Perspectum vero est, calculum renalem præcipue generari in radicibus pelvis inferioribus (§. IX.) & gravitatem calculi ascensum haud permittere. Hoc ergo ex fundamento situs corporis ita est disponendus, ut radices pelvis inferiores fiant elatiores pelvi ipsa: quo peracto calculus pondere suo delabitur in pelvim renalem. Fieri id potest ægro in lecto ita jacente, ut clunes sint elatiores reliquo corpore, adhibitis simul medicamentis propellentibus, quæ ut omnia recenseam, superfluum duxerim, ablegans potius lectorem ad BOERHAAVE *Mat. Med. a pag. 28. ad 44.*

§. XXXVI.

Quando autem calculus est major, quam qui per angustias viarum potest penetrare: tunc videndum est, utrumne viæ ita possint dilatari, ut aptæ ad hunc transitum reddantur. Hic effectus haud raro obtinetur victu humido, blando tenuisque, quo pertinent olera, quæ H. BOERHAAVE *L. c. pag. 26r.* adduxit: balnea etiam non minori gaudent efficacia, simulque linimenta emollientia, ut sunt omnium pinguedinum genera & olea expressa, quæ etiam possunt intus hauriri vel per clystima injici, quippe quæ haud contemnendum produ-
cunt

cunt effectum, quia fere immediate ad renes pertingunt: nam clystima per totum intestinum Colon, quod simul renes tegit, ascendere valet. Potest autem contingere, ut calculus asperitatibus suis vias illas afficiat, qua ex ratione vix se contrahunt, descensum simul inpedientes; cui itaque succurrendum est malo ita quidem, ut corpus eo redigatur, ne afficiatur ab his partibus, quod fit per opiata & anodyna prudenter adhibita. Viis jam patulis, pellentia illa possunt esse usui medicamina.

§. XXXVII.

Quodsi calculus sit major, quam qui per vias dilatatas transire potest, ille ita debet mutari, ut minor evadat. Medicamenta, quae hunc effectum producunt, Lithonriptica nominantur, quorum praecipue duo, aliquam fidem habentia, nobis sunt cognita: alterum est elixir illud DIPPÉLII, alterum a virgine anglica, STEPHENS dicta, inventum. Inquiramus, quomodo haec medicamenta agant. DIPPÉLII *medicamentum* praecipue confectum est ex acido vitrioli, unde simul ad classem medicamentorum, calculum pellentium, est referendum: Praeterea alium adhuc effectum producere valet: nam ex chemiciis constat, salia alcalina, & praecipue volatilia, facillime se conjungere cum salibus acidis: In §. VI. vero adduximus, calculum gaudere multo sale volatili; sal enim volatile in calculo ultra quintam partem explet. Jam vero sale alcali transeunte ad acidum illud vitriolicum, quod adest in medicamento Dippelii, calculus de materia sua deperdit aliquid, unde non solum minor fit, sed simul cohaesio tollitur, quia ex illo acido alcalique, inter se combinatis, fit sal medium, quod pollet facultate partes oleosas abluendi, qua de causa calculus simul oleo suo, quod cohaesionem in calculo facit,

D

cit,

cit, privatur; quam ob rem beneficio hujus medicamenti calculus frangitur. *Alterum medicamentum*, quod inventum est a virgine illa anglica, mere est saponaceum, quia præcipue constat ex conchis & testis ovorum calcinatis, pinguedine porcina, seminibus plantisque calcinatis, quibus postea adduntur mel & sapo. Vid. *a supplement to a Pamphlet intituled a view of the present evidence for and against Mrs. Stephens medicines by David Hartley. pag. 43.* Inde medicamentum, de quo sermo est, agit ut sapo: recipit enim in se oleosas partes, quæ cohæsiõnem in calculo renali constituerant: cohæsiõne vero partium calculi sublata, facile ille etiam extra corpus potest eliminari, & quidem eo magis, quia hoc medicamentum ob particulas alcalinas, quas in se fovet, vi, calculum pellente, pollet.

§. XXXVIII.

Cum calculus autem per medicamenta non potest imminui vel expelli; attamen eo omni est allaborandum studio, ut minorem faciat molestiam & haud increseat. Quod ut e voto succedat, corpus alendum victu, qui nil fere, quod calculo generando pabulum præbeat, in se continet: ut est victus humidus blandus tenuisque; contra vero evitandi sunt cibi duriores, ut sunt carnes piscesque fumo indurati, caseus & alia genera ciborum, qui sanguinem urinamque magis tenacem & fæces crassiores reddunt, qui etiam multa præterea incommoda producere valent, in intestino colo superstites, & renem, calculo affectum, prementes.

§. XXXIX.

Symptomatibus omnino succurrendum est, & quidem illis, quæ tanta sæpius vehementia ægrum vexant, ut vita ejus
con-

conclamata esse videatur. Horum primaria sunt inflammatio, dolores, vomitiones. Inflammationi obicem ponunt venæ sectio, si plethora adest, medicamenta resolventia antiphlogisticaque: doloribus, qui plerumque ab asperitatibus calculi originem trahunt, medentur oleosa, saponacea simulque anodyna, quæ & in vomitionibus præcipue spem melioris conditionis raro fallere solent.

§. XXXX.

Liberato ægro ab hocce morbo, sedulo cavendum, ne novo generando calculo occasio præbeatur. Servanda itaque exactissime conveniens diæta, quam nobis, in renum morbis nobilem satis, præscribit C. CELSUS in *Lib. 4. cap. 10.* Vitiatæ nempe primis viis actiones nostræ naturales haud possunt esse salvæ. Ergo cavenda nimia repletio & magna abstinentia: alvus semper servetur laxa, ne renes a fæcibus comprimentur, tuasor quoque extiterim. Plura hic afferre possem, quæ autem commode ad has classes referri possunt, unde brevitatis studio illa mitto finemque differendi facio.



01 A 6561

Nr. 11 (Tafel nicht zu
ermitteln!)

ULB Halle
002 936 143


3



Sb.

1078
V 17





186.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
CALCVLO RENALI,

QVAM
SVMMI NVMINIS AVXILIO,
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE FAVENTE,
PRÆSIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO
EXPERIENTISSIMOQVE
**DOMINO CHRISTIANO STEPHANO
SCHEFFELIO,**

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. REG. ORD. CELEBERRIMO,
FACVLTATIS SVÆ DECANO ET SENIORE
NEC NON TOTIVS ACAD. CONSENIORE GRAVISSIMO,
FAVTORE AC PRÆCEPTORE,
AD CINERE VSQVE DEVENERANDO,

PRO
SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
OBTINENDIS

AD DIEM XXX. APRILIS MDCCXLVIII.
PVBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR

HANS BERNHARD LVDEWIG LEMBKE,
GRYPHISWALDENSIS.

GRYPHISWALDIÆ
TYPIS HIERON. JOH. STRVCKIL



B.I.G.

Farbkarte #13